



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXIX. Thesauria Dei divitiarum. Omnia cœli bona, ac dona veniunt  
nobis per manus Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

# DISCURSUS XXIX.

*Domus aurea gratiarum, Virgo Maria est.*

**P**RÆ omnibus totius terræ domibus materialibus, tem- Exordium.  
plum Salomonis propriè domus aurea dici potest, non  
quidem præcisè ideo, quia omnia in domo auro pu-  
rissimo tecta erant, ut narrat liber tertius Regum  
cap. 6. *Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo.*  
Sed & ideo vel maximè, quia grata ac aurea promissa huic  
templo Deus obtulit. 2. Paralipom. cap. 7. *Oculi quoque mei  
erunt aperti, & aures meæ erèctæ ad orationem ejus, qui in  
loco isto oraverit.* non aliâ utique de causâ, neque fine alio,  
quam ut cœlestes gratias ac dona supernaturalia orantibus in  
loco isto impertiatur. Immaculatus Virginis Mariæ uterus  
domus Dei, templum divini Salomonis est, quam virtus Al-  
tissimi obumbravit, in quam supervenit Spiritus sanctus, quam  
inhabitavit Filius Dei vivi, in quam Sanctum Sanctorum col-  
locatum est, Domus hæc verè aurea, non ex eâ tantum ratio-  
ne, quia undique auro purissimo charitatis ardencissimæ te-  
cta, auro enim charitas non incongruè comparatur, quia  
sicut aurum inter metalla primatum tenet, ita inter virtutes  
major est charitas, Maria igitur supra omnes creaturas, su-  
pra Cherubim etiam ac Seraphim, charitate in Deum ardentissi-  
ma, auro purissimo tecta Domus Dei aurea est, sed & ideo  
quam plurimum, quia illa ipsa gratiarum divinarum Domus  
est, in quâ oculi Domini semper aperti, aures ejus semper  
erectæ ad preces, ac intercessionem Virginis Mariæ, hâc solum  
intentione, ut favores exhibeat, gratias largiat, omnibus  
& singulis, pro quibus Virgo Mater exorat. Domum  
hanc auream SS. Patres unanimiter collaudant, & gratias, SS. Patres.  
quas inde suscepérunt, grato animo recognoscunt. Eleemo-  
syna.

dd

*Synaria Dei est Virgo Maria, omnes enim eleemosynas & grata, quas Deus de cælo in terram mittit, Materis sui fiendas commun;*  
*in tantum enim eam Deus dilexit, ut nihil nos habere voluer,*  
*Jacobus de quod per manus ejus non transiret. scribit Jacobus de Voragine,*  
*Voragine; in Mariali. serm. 4. litt. E. Quidquid illude sit, quod Deo si-  
 reparas, Maria commendare memento, ut eodem alveo ad Lar-*  
*S. Bernard⁹. gitorem gratiæ redeat, quo influxit. suadet S. Bernardus. de Nat. B. V. Maria est thesaurus, quia in eāt in gazophila-  
 cio reposuit Dominus omnia dona gratarum, meritorum, va-  
 tutum, & prærogatiavarum, donorum, & charismatum, &  
*hoc thesauro, largitur ipse larga stipendia suis militibus &*  
*Richardus operarius. perorat Richardus à S. Laurentio. de Laud. B. M. V.  
 à S. Laur. lib. 4. Ipsa est locus thesaurorum Dei, Matth. 12. Bonus hom  
 id est Christus Deus & homo, de bono thesauro suo, id est Virgo  
 Mariæ, profert bona, scilicet misericordia, gratia, & glori-*  
*B. Albertus Magnus. interpretatur B. Albertus Magnus. in Mariali. Evang. Mani-  
 num. 22. Penes te, o Mariæ! sunt claves thesaurorum de-  
 etissimi filii tui, potesq; ut libuit aperire, ditareq; impos. Adest  
 qui prostrati ante te, altis valde gemitibus, implorant mis-  
 cordiam tuam, quæ non habet finem, o munificentissima Di-  
 satrix. loquitur Ven. P. à Jesu Mariæ. tom. 4. in epist. ad B. V.  
*Ven. P. à Je-  
 su Mariæ.* O sancta, & sanctissima sanctior, & omnis sanctitatis sanctissima  
*S. Andreas Cretensis.* thesaure! exclamat S. Andreas Cretensis. Orat 3. de Domini  
 B. V. de quo scilicet æger sanitatem, afflicitus solatium, co-  
 nus auxilium, captivus redemptionem, peccator remissio  
 nem, mortuus vitam, poenitentes in purgatorio animæ  
 quiem æternam, ac Justi omnes Dei intuitionem fortiuntur  
 largire nobis gratiam Spiritus S., quæ dignis Conceptibus aures  
 Domui appropinquemus.**

## CONCEPTUS I.

Confirmatio ieu De:  
ductio.

Postquam Creator omnium universas terre aquas in-  
 num locum congregasset, ut arida appareret, locum illum  
 Maria appellavit.. An non idem Virgini Genitrici Dun-

men *Maria* Deus dedit? dicente Idiotâ doctissimo. tom. 5. Biblioth. SS. PP. cap. 5. *Dedit tibi, ô Maria! tota Trinitas nomen.* Cur, quæso, Matrem suam, eodem, quo congregatio- nes aquarum, nomine *Maria* Creator appellavit: *Congregati- ones aquarum appellavit Maria.* Gen. 1. cap. Omnes aquæ univeræ terræ intrant in mare, sed ab eodem per absconditos aquæ ductus, & canales largiter diffunduntur in omnes orbis terræ partes; pari modo in locum unum, scilicet in Virginem Dei Matrem velut in mare omnes gratiæ confluunt, sed ab hoc eodem mari gratiarum per iterata auxilia, in Adæ filios, sine intermissione effluunt, unum ergo idemque no- men *Maria*, mari & Matri dare Creator voluit, quo insinuat- ret, congregations gratiarum esse in Maria, venire de Maria, & dari per Mariam. Ita interpretatur S. Antoninus, part. 4. tit. 15. cap. 4. §. 2. *Congregatis igitur omnibus gratiis sanctorum, in unum locum, scilicet in animam Virginis, appellavit eam Mariam, quasi mare gratiarum, omnia enim flumina in- trant in mare, id est omnes gratiae in Mariam.* Confirmat S. Joannes Damascenus. serm. de Dormit. B. V. *Per illam, in illâ, & cum illâ, omnia fieri decretum est.* & S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. Orat. de Zonâ B. V. Nullus est enim, qui salvis fiat, ô sanctissima! nisi per te; nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima! nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima! nemo est, cuius misere- reatur gratia, nisi per te, ô honestissima! ô Domus aurea gra- tiarum, Virgo Maria!

## CONCEPTUS II.

Communi adagio aureum dicimus hominem, qui proximo suo, sine ullâ præviâ obligatione, ex mero amore, suavitate, & affabilitate, beneficia insignia exhibet; verè hic est aureus homo, inquit orbis: ex innata clementia, sine ul- lis nostris meritis, ex merâ charitate, & suavitate, nobis gra- tiam Dei, & remissionem peccatorum quæsivit, & invenit

dd 2

Virgo

Virgo Dei Mater, annuntiante Archangelo Gabriele, *Lxx.*  
 1. cap. *Invenisti gratiam.* nemo enim, nisi qui quærerit, in-  
 venire dicitur, si ergo invenit Virgo gratiam, quæsivit, po-  
 se ipsâ autem gratiam quærere non potuit, quia aliunde iam  
*gratiâ plena* erat: Quam igitur gratiam, & pro quo Maria  
 quæsivit? Gratiam Dei, quam inobedientia suâ, totum huma-  
 no generi protoparentes nostri deperdiderunt, obediens suâ  
 Virgo Deipara pro omnibus quæsivit, & Angelo annun-  
 te invenit. Loquatur Richardus de S. Victore cap. 26. in Cant.  
*Tanta fuit beatæ Virginis charitas,* ut non solum ad eum gentes  
*Judaos videlicet,* extenderetur, sed ad ignotas & notatas, ad  
*omnes denique homines,* ad hos omnes charitas ejus dilata fuit,  
*pro his sollicita fuit,* pro his orando exaudita fuit, pro his indis-  
*nenter oravit,* dicente ad eam Angelo Gabriele: *invenisti gra-*  
*tiam apud Deum:* scilicet quam quarebas. Domus verè aurea  
 Virgo.

### CONCEPTUS III.

Non solum invenisse gratiam, Mariæ annuntiat, sed  
 etiam superventurum in eam Spiritum sanctum prædict: *Sp-*  
*iritus sanctus superveniet in te.* *Lucæ.* 1. cap. Spiritus S. datur  
 gratiarum est, ad quid ergo superveniet in gratiâ plenam?  
 quærit S. Bernardus, serm. de Nat. B. V., & respondet, ut super-  
 plen. nat, ut de gratiâ superfluenta & superplena, salutem  
 hauriant omnes homines, & desideratam colligant felici-  
 tem, invitati ab ipsâ. *Eccles.* 24. cap. *Apud me est spes vita &*  
*virtutis,* qui me invenerit, *inveniet vitam,* & hauriet salutem  
 à Domino. Sed & verba melliflui Doctoris percipiamus. *Av-*  
*gellus in eam superventurum afferit Spiritum sanctum,* ad quid  
 putas, nisi ut etiam superimplete eam? ad quid, nisi ut acci-  
 niente iam spiritu plena, sibi eodem superveniente, nobis queat  
 superplena. & superfluens fiat? ipsa nempe Mediatrix nostra  
 ipsa est, per quam suscepimus misericordiam tuam Dom.

*per quam & nos Dominum IEsum in domos nostras excipimus, de  
Domo aurea Mariæ Virgine.*

Gratias itaque omni statui necessarias humiliter flagite- Epilogus.  
mus de hâc Domo, oratione illâ efficacissimâ, quam ipse  
Christus, proprio ore dictavit in regulâ Salvatoris. Oramus  
te, piissima Virgo Maria, mundi Regina, & Angelorum, uteis,  
quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium, pecca-  
toribus indulgentiam, justis in bono perseverantiam, nos quoque  
fragiles, ab instantibus defende periculis. Amen.

*Laus Christi Matris, quod sit Domus aurea  
Patris,*

*De qua nempe Domo, dona reportat homo.  
Atque ideo de mari, vult Virgo Maria  
vocari,*

*Cedat ut in donum, quod parit illa bonum.*



dd 3

DL